Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite
Quelle:
Copyright:

L E C T O R I.

mitiſſimum quemque incidas, commiſeratione dignos cenſeant, velut ignari, quid ante ſe natos in literis praeſtitum fuerit, aut parum perſpicientes indolem omnis hiſtoriae, quae coaleſcit, et perficitur e ſingularium actorum etiam minoris momenti cognitionibus, aut immemores denique, nunquam ſe eo loci, quo conſiſtere ſe arbitrantur, progreſſuros fuiſſe, niſi, qui ſuperioribus ſeculis exercuerunt ingenia, magna ſane ſpatia confeciſſent; quaſi vero politum Maronis Carmen, vel eam, quae Magiſtrorum hodie cathedras invadit, Philoſophiam haberemus, ſi rudes Ennii verſus, et acutae Scholaſticorum in Ariſtotelem commentationes non praeceſſiſſent.

Verum me ſolatur, et reficit illius aetatis recordatio, qua celeberrimi quique Graeciae, Latiique Scriptores neglecti quondam, ignoratique deliteſcebant in Bibliothecarum forulis, quos cum melior Seculi XVI. propago in dias luminis auras denuo revocaverit, ſpes mihi adfulget, redituras in orbem, quas humana mens aut ſibi creat, aut patitur, vices, penſaturos aequa lance Poſteros, nec indignum habituros cognitione ſua, quidquid medium Aevum populorum motibus, bellisque convulſum tentavit, ut literae et artes ad priſtinum faſtigium adſurgerent, aut oſtento ſimile reputaturos, ſi, quae longis calamitatibus interciderunt, non intra noctem, ut fungi, ſint renata.